

1447 *Lazar-
tiam.* tis ad aerem mitigandum per plures noctes sunt insta-
ti. Est præterea locus duo millia passuum ab urbe, *Lazaretium* vulgo appellant: huc quicumque pestilentia lan-
guere cœperant, deferebantur, senis cymbis ad id publi-
ce paratis, ut singulis regionibus, quibus urbs divisa est,
singulæ deservirent. Verum quia res ipsa non solum ad
contagionem tollendam, sed ad sublevandos quoque ino-
pes conducere credebatur (curabantur enim illic commo-
dius ac longe accuratius infirmi) cœptus est locus paula-
tim ædificiis omniumque rerum apparatu ornari. Additum
deinceps haud procul inde aliud recens opus, hoc nomine
magnifice instructum, quod procul spectantibus munitissi-
mi oppiduli mentitur speciem. Erant res Philippi, ut di-
ximus, vehementer accisæ, quum Sforcia quatuor equitum
millibus, ac duobus peditum ex Flaminia, quo se ad
comparandas copias ex Picœno contulerat, profectus, per
Ferrarienses in Parmensem agrum transiit. Sub ejus digres-
sum omnia Picœni agri loca, præter Anconem, Pontifex
recepit. Anconitani namque, dum terra marique urgeren-
tur (nam & Alphonfi naves a mari infestabant, & a con-
tinenti Eugeniænæ copiæ) veriti ne, si temere militi ad de-
ditionem hortanti credidissent, urbs subito diriperetur,
Veneta signa erexerunt; affueruntque proinde confestim il-
lis naves Venetiis missæ, quæ, portu infesso, urbi præsidio
erant. Anconitani in focios (ut antea Bononienses) a
Venetis & Florentinis ascripti. Laurentius Minius cum se-
ptem triremibus eo missus, qui urbis præsidio esset. Hoc
quidam annales habent; apud alios nihil de hujusmodi
Anconitanorum motu reperio. Per id tempus onerariæ duæ,
quarum Jacobus Maurocenus unam, alteram Andreas Leo
instruxerat, in piratas maria latrociniis infestantes domo
sunt profectæ. Sub Sforcia in Galliam adventum omnis
equitatus, quem Patres venienti illi objicere statuerant, si
in Patavinos fines impetum fecisset, mox, ubi alio flexis-
se cognitum est, per Cispadanam oram in Attenduli castra
ire est jussus.

Erantque hinc inde magni bellorum conatus; quum
Phi-